C tiones inſperſum polentæ modo. Anginas in aqua & oleo decoctum, & cum aniſo illitum. Torretur ut aluum ſiſtat. Cœliacis & dyſentericis imponitur ex aceto. Ad iecinoris dolores eſtur cum uua paſſa & ad phthiſin utiliſsimè. Semine fiunt & ecligmata. Muſculorum, neruorum, articulorum, ceruicum duritias, cerebri membranas mitigat farina ſeminis, nitro aut ſale, aut cinere additis. Eadem cum fico item concoquit ac maturat. Cum radice uero cucumeris ſylueſtris extrahit quæcunque corpori inhærent. Sic & fracta oſſa. Serpere ulcus in uino decocta prohibet. Eruptiones pituitæ cum melle emendat. Vngues ſcabros cum pari modo Naſturtij, & teſtium uitia & ramices cum reſina & myrrha, & gangrænas ex aqua. Stomachi dolores cum Fœnogræco ſextarijs utriſq; decoctis in aqua mulſa. Inteſtinorum & thoracis perniciosa uitia, clyſtere in oleo & melle.

DE LICHENE▸ CAP▸ CLXXVIII▸

NOMINA.

Hepatica. *Lichen quare dicta.*

Hepatica quare.

EIXHN Græcis, Lichen Latinis, officinis & herbarijs Hepatica, Germanis Stein oder Brunnenleberkraut dicitur. Lichena autem Græci & Latini nominauerunt, quod cõtra Lichenas omnibus remedijs anteponatur: aut à re ipſa nomen dederunt, quoniam ſaxa quibus hæret linguæ modo lambat. Hepaticam uerò recentiores uocarunt, quod iecinorum fibris ſimilis conſpiciatur.

FORMA.

Folio ſucci pleno, craſſo & oblongo conſtat, rorulentis petris adhærente, ſub quo cauliculi, pediculorum forma, capitula ſtellata habentes, exeunt.

D

LOCVS.

Naſcitur in roſcidis & grauiter olentibus ſaxis.

TEMPVS.

Iulio menſe ea qua picta eſt forma decerpitur.

TEMPERAMENTVM.

Abſtergentem ac modicè refrigerantem facultatem, utranq; uetò reſiccantem habet. Abſtergentem quidem atq; exiccantem à petra, refrigerantem autem ab aqueo humore.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Lichen illitus ſanguinis eruptiones ſiſtit, & inflammationes compeſcit. Impetigines ſanat. Inunctus cum melle regio morbo affectis prodeſt. Oris & linguæ defluxiones arcet.

EX GALENO.

Lichen qui in petris naſcitur, eſt ueluti muſcus quidam, ſed recte ex plantarum genere cenſeri poteſt. Sic nominatus uidetur, quod lichenas ſeu impetigines curet. Extergentem & mediocriter frigidam facultatem obtinet. Porrò quod ex talibus ſubſtantijs cõponitur, aduerſum eſſe inflammationi nihil mirum eſt. An uerò ſanguinis eruptiones ſiſtat, ut Dioſcorides ait, id neutiquam dicere queo.

EX PLINIO.

Sanguinem ſiſtit uulneribus inſtillatus, & collectiones illitus. Morbum quoq; regium cum melle ſanat ore illito & lingua. Stigmata etiam delet.

DE LINO-

LICHEN